



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 6. De Restitutione

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

Injustitiæ autem sequentes in censibus reperiuntur. 1. Si pensio excedat fructum qui ex re speratur, vel juste sperari potest. 2. Si res super qua census est fundatus, nec in se, nec in aliquo conjuncto est fructifera. 3. Si re ex toto vel ex parte pereunte, tota pensio exigatur. 4. Si in contractu emptionis census, gravamina injusta apponantur. 5. Si census sive pensio minus ematur quam valet modo, vel brevi speratur valitura, quo casu sæpe opprimuntur pauperes, dum census suos ob temporum penuriam coguntur divitibus pro nihilo vendere.

Articulus Sextus.

De Restitutione.

1. **R**estitutio est actus justitiæ, quo redditur vel compensatur quod injuste ablatum ab alio, vel in re aliena damnificatum: ad talem vero restitutionis actum, tenetur omnis ille, qui rem alienam abstulit, accepit, scienter detinet, vel rebus proximi damnum intulit. Item: qui furto vel damno illato aut detentioni cooperatur, aut
coope-

cooperatus est. Dicitur (*qui rem alienam abstulit, accepit, vel rebus proximi damnum intulit*) ad indicandos primarios fures, Raptores, fraudatores vel damnificatores, hi enim primario ad restitutionem tenentur. Dicitur etiam (*aut illam scienter detinet*) ut comprehendatur is, qui à fure rem emit, aut apud quem fur deposuit, si sciat esse alienam: item omnis qui rem alienam accomodatam, locatam, impignoratam, aut depositam, injuste ultra tempus invito Domino detinet. Dicitur (*qui furto vel damno illato cooperatur*) ut includantur omnes, qui iussione, consilio, receptione furum, in actione furti cooperantur: sive etiam, qui observatione, vigilia, inductione, signo, participatione, vel alio quovis modo furto vel damno cooperantur: hi enim omnes ad restitutionem tenentur, si principales fures vel aliquis illorum non restituat. Res vero ipsa ablata, si extet, restituenda est, si non extet, aut non possit commode restitui, æquivalens restituendum est, & generaliter omne damnum in æquivalenti compensandum est.

2. Petes quæ à restitutione excusent:
R. Nunquam homo in vita sua, ab habituali & radicali obligatione restituendi si-
ve compensandi, damnum proximo illa-
tum, excusatur ante restitutionem, nisi sola
condonatione illius, à quo res ablata est,
aut cui damnum illatum, vel ipsius hære-
dum, siue eorum ad quos jus in rem devo-
lutum est. Quinque vero casus sunt, in
quibus aliquis à restitutione excusatur:
1. Ignorantia juris vel facti circa rem: ut
cum ignoro an sit aliena, vel an restituere
tenear. 2. Necessitas: si sine periculo vitæ,
vel gravissimo damno sui quis restituere
non possit. 3. Impotentia: quo refertur
cessio bonorum tanquam signum omni-
modæ inopiæ, si tamen vera sit & dolo non
sit immixta. 4. Est compensatio secreta
prius facta: utpote si adhuc effectum, of-
ficium, obsequium, operam æquivalen-
tem, absq; mercede, impenderit, aut alio
modo satisfecerim, etiamsi ignoret. 5. Si
jure legitimo præscripserim aut usu cepe-
rim.

V

Arti-